



1. Rus s: Joh. Reich: s: diff. de serpente le
ductore non naturali s: 9 solo Diu bolo
jene 1712.
2. — diff. de vario mox in Montem Pirai
ascensu jene 1716.
3. — diff. de iudea rebus pectis et
miraculis Christi clara jene 1733.
4. — diff. de veris spectaculis Iesu Christi
requisitis jene 1733.
5. Rur Meyer s: Mich. Christ: s: diff. de Ara
ne, viro paneto, tribus Lco, typo
Christi Gographia 1738.
6. Sauerbräu s: Joh. s: diff. de Deo uno et
trino 1648.
7. Schacken s: Joh. s: diff. de septem spiri
tibus a post. Theologo celebratis
Liphsie 1736.
8. Schelzwing s: Sam: s: diff. de dono fidei
justificati, 1739.

16

Q. D. B. V!

DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ PRIMÆ

D E

UTILITATE RELIGIONIS EVANGELICÆ,

SUB PRÆSIDIO

DN. D. JOHANNIS SCHMIDIIPP.

CONSISTORII ELECTORALIS ET DUCALIS ASSESSORIS,
ALUMNORUM ELECTORAL. EPHORI, COLLEGII B. MARIAE
VIRGINIS PRÆPOSITI, ACADEMIÆ DECEMUSSI,
EJUSDEMQUE UT ET NATIONIS PO-
LONICÆ SENIORIS,

PATRONI ATQUE PRÆCEPTORIS

SUBMISSO VENERATIONIS CULTU

ÆTATEM PROSEQUENDI

IN ALMA LIPSIENSIVM ACADEMIA

DIE XV. OCTOBR. A.R.S. MDCCXXVI.

HABITÆ

S E C T I O T E R T I A

JAM EXHIBITA

STUDIO.

DAVID BENJAMIN BRESKOTT,

BEROLST. SIL. SS. THEOL. CULT.

L I P S I A E,
LITERIS BREITKOPFFIANIS.

V I R O
PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO,
Dn. M. FRIDERICO ERNESTO
SCHOLTZ,

ECCLESIAE EVANGELICÆ, QUÆ STROPPENÆ EST
PASTORI MERITISSIMO, EJUSDEM DIOCESEOS
SENIORI GRAVISSIMO, ET SCHOLARUM
INSPECTORI VIGILANTISSIMO &c.

NEC NON

V I R O
ADMODUM REVERENDO ATQUE AMPLISSIMO,
Dn. M. ABRAHAMO GOTTLIEB
HERMANN,

ECCLESIAE EVANGELICO-LUTHERANÆ
LOSSSENSIS PASTORI VIGILANTISSIMO
ET FIDELISSIMO,

AVUNCULIS ET FAUTORIBUS MEIS
DEBITO OBSERVANTIAE CULTU PIE
PROSEQUENDIS

S. P. D.

DAVID BENJAMIN BRESKOTT.

*In signis hæc tenus & perpetua VESTRA fuit in me
libenevolentia, quam ubi ex tot tantisque luculenter
cognovi indiciis, fieri non potuit, quin ingens illa,
qua VOS a teneris obsequiose prosequutus sum, ob-
servantia, cum ætatis robore vires caperet quoti-
die majores. Etenim cum vos mibi sitis, vel san-*

gui-
). (2

guinis cognatione, vel affinitatis vinculo conjunctissimi, illud unum mihi, aequo PROPINQUORUM MEORUM aestimatori, largiter sufficere poterat, ad sufflandum alendumque genuinum in animo meo VESTRI amorem & studium. Postquam vero huic amoris mei causae accessit animus, quem semper fovistis, toties hucusque declarastis in me propensissimum, facile affirmare ego, certoque confirmare possum, me VOBIS ab ea, qua GENITOREM MEUM suspicio, observantia proximum atque secundum gradum, & pie destinasse, & constanter custodivisse. Facillimum jam erit, ex iis colligere, non minorem esse mentis, quam in VOS collocavi, fiduciam, quippe quam & propinquaque cognatio genuit, & intimus VESTRI amor sustentavit, & singularis VESTRA in me benevolentia ad hanc, qua eam jam esse cernitis, animu[m] perduxit. Utriusque igitur, observantiae nimirum & confidentiae erga VOS meae, testimonium bac ipsa epistola exhibere decrevi, non, quod VOBIS de iis subnatum esse dubium, suspicatus fuerim, sed quoniam publicam earum testificationem Vobis non ingratam, neque molestam, mihi vero & multo acceptissimam esse & admodum convenientem existimavi. Cum enim secundam dissertationis meae sectionem luci publicae expondere, & non ab blandientem quidem, justam tamen & veritatis ita tenacem, ut charitatis non oblita videretur, censuram de eadem audire cuperem, venera-

neratio in GENITOREM mea, neminem rectius
debere, fiducia autem in eundem posta, neminem tu-
tius posse de eo examine rogari, me edocebat, nisi
quem & veritatis aestimatio ad exquisitum an-
scrutinium duceret, & soley paterna ad charitatis af-
fectum, immo advenie inter dum facilitatem flecteret.
Hujus quoniam me nondum pœnituit consilii, ego au-
tem in vobis similem prorsus veneror veritatis & cha-
ritatis concordiam, eadem me non nihil fluctuantem
VESTRI observantia monebat, monitumque confir-
mabat fiducia, ut *VOBIS* ultimam Dissertationis
meæ sectionem transmitterem, limato eam vestro ju-
dicio subjicerem, & æquam ejus benevolamque censu-
ram ea, qua mibi incumbit, mentis pietate exorarem.
Cum tandem elaborationis meæ tenuitati gravita-
tem argumenti opponerem, &, quo sitis *UTRIQUE*
in Ecclesiam Evangelicam amore & studio, me-
cum recenserem, nihil penitus reperiebam, quod mi-
bi, ea petitione ad *VOS* tendenti, remoram aliquam
injicere posset. Offero igitur perlustrationi & excus-
sioni *VESTRAE* illud ipsum, qualecunque demum
est, conaminis mei academicí specimen, & eo brevius
expeto mibi benignam de illo sententiam *VE-
STRAM*, quo promptiores *VOS* in ea mibi suppe-
ditanda futuros esse confido, & quo me ejus cognos-
cendæ cupidorem esse, vel me tacente, optime cognos-
citis. Quod novum si a *VOBIS*, de quo nullus du-
bito, impetravero beneficium, reliquis illud annume-

ra-



ratum, memori ego repetam pectore, & repetendo pie-
tate colam atque recolam sempiterna. Majorem
etiam VESTRI observantiam promitterem, nisi tot
jam accessionibus aucta in illam dudum excrevisset ma-
gnitudinem, ut ego quidem, unde vel ubi augeri que-
at, nondum invenire possim. Huic igitur VESTRI
cultui comites jungam preces ardentissimas, quibus
Numen potentissimum, humillime prostratus, adora-
bo quotidie, velit pro ea, quae pios omnes, præser-
tim vero oueey &c suos prosequuturum esse promisit,
gratiæ suæ amplitudine, animi tranquillitatem, cor-
poris sanitatem, virium integritatem, dierum lon-
gævitatem, sortisque felicis constantiam, & omnia,
quæcunque piorum vota possunt esse & desideria
largiter VOBIS concedere, ut Ecclesiæ Nostræ
emolumento, DOMUI SCHOLTZIANÆ
& HERMANNIANÆ SPLENDIDISSI-
MÆ ornamento, omnibus bonis solatio, atque
mibi in primis præsidio, quam diutissime esse &
quam felicissime superesse possitis. Ita enim nec
causa sufficientissima, nec occasione opportuna un-
quam destituar, qua, & VESTRAM mibi be-
volentiam ulterius polliceri, & meam VOBIS ob-
servantiam perpetuo testari possim. Valete !

Dabam in Alma Nostra Philurea, die

XIII. Martii A. R. S.

MDCCXXVII.

Sectio. III.

SECTIO III.

**DE UTILITATE, QUA RELIGIO
EVANGELICA SALUTEM OMNIUM HOMINUM
PUBLICAM ET COMMUNEM CONFIRMAT ET AD-
JUVAT, ET QUAM ALIENI ETIAM AB EA SI-
BI NIHILominus PROMITTERE
POSSUNT.**

§. I.

Omnes equidem homines ejus, de qua in prioribus sectionibus verba fecimus, utilitatis participes se reddere & poterant & debebant. Quoniam tamen pauci, quid hac in parte sibi saluti fit & emolumento, accurate secum perpendunt, pluri-
mi vero, minus providi fortunæ sua fabri, Ecclesiam Evangelicam ejusdemque multæ felicitatis oblationem negligunt, contemnunt & summo amore dignam injus-
to odio prosequuntur, seque hoc ipso plena & absoluta felicitate privant: Non tamen Religio Evangelica per se considerata ipsis noxia & perniciosa evadit, sed adhuc, quantum illa potest, & quantum isti permittunt, eorum omni studio querit, omni solertia stabilit, omnique modo & ratione promovet & auget prosperitatem. Immo sua utilitatis radios tam largiter spargit, ut eos in homines quosvis & totum humanum genus diffundat. Quædam ejus generis commoda, quis enim omnia persequi posset, in hac sectione percensere milii est animus. Evidem in principio mecum constitueram de iis præcipue tantummodo exponere meritis, quibus ad-
versarios potissimum sibi devincit Religio Evangelica:

P

Cum

Cum tamen postea accuratiori judicio perpenderem, non exigua esse, sed commemoratione omnino digna emolumenta, quæ purior Protestantium Ecclesia in omnes penitus homines generatim spectatos confert, atque videtur, salutem atque securitatem hominum communem & publicam admodum a Nostræ Ecclesiæ sanctis conservari, corroborari atque amplificari; nec a Religionis Evangelicæ commendatione, nec a scopo nostro, nec a Benevoli Lectoris cognitione & indagatione alienum fore existimavi, de iis etiam aliquid in nostra hac tractatione differere, & ingenii exercitatoribus ansam quasi præbere, in ea omnia ulteriori & accuratiori studio atque scrutinio investigandi. Ne tamen a methodi semel approbata constitutione & divisione, vel etiam a brevitatis, quod & ipse mihi proposui, & Lectori Benevolo promisi, studio nimium decepsisse videar; omnia ista in ultimam hanc sectionem asterravi, conjunctim & uno quasi intuitu ista exhibiturus; cuius consilii mei veniam ab æquo benevoloque rerum astutatore haud gravatim me impetraturum esse confido.

§. II.

Non postremum in iis commodis, quæ in adversarios & homines a fide Evangelica aversos ex Nostra Doctrina proveniunt, locum illud meretur, quod Ecclesia Evangelica omnes æque homines *Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 13.* & id quidem neque armis *2 Cor. X. 4.* neque minis *Luc. IX. 54. 55.* neque blanditiis, neque persuasoriis humanæ sapientiæ verbis *1 Cor. II. 4.* sed per unicum, simplex atque perspicuum doctrinæ a Christo traditæ, ab Apostolis propagata præconium *Job. XVII.*

20.

20. *1 Cor. I. 23. 24.* *Rom. X. 17.* ad fraternalm & spiritualem sui communionem *Job. XVII. 21. 23.* *1 Cor. XII. 12. 13.* *sqq. Eph. IV. 3. 4. 16.* sedulo vocet, & favissime invitet. Omne id tanta solertia, tantoque conamine suscipit, non eo intuitu, ut suam, quam mundanam esse negat *Job. XV. 19.* *XVIII. 36.* *1 Cor. I. 26. 27. 28.* dignitatem augeat, suum, quod in conscientias plane non affectat *2 Cor. I. 24.* imperium dilatet, splendorem, quem non nisi internum & spirituale esse novit *Pf. XLV. 14.* *Luc. XVII. 21.* amplificet, privataque commoda sectetur; sed eo tantum omnia hæc subit animo, ut alios omnes, si fieri id possit, suæ, quam per Jesum Christum adeptæ est, felicitatis secum faciat participes *Ez. LV. 1.* *A& II. 39.* & de salute æterna consequenda reddat certiores. Qua de causa, qui vocem ejus attendit, seque cœtui Protestantium puriori associat, hominem neutiquam decretis, vel proprio ingenio excogitatis, vel ad propriam utilitatem compositis, *2 Cor. II. 17.* *IV. 5.* *Gal. I. 10.* *VI. 12. 13. 14.* sed tantummodo divinis *1 Cor. II. 6. 7. 13.* *Gal. I. 11. 12.* ex divino fonte haustis *Luc. XXIV. 27. 32. 45. 46.* *Job. V. 39.* *A&. XXVI. 22.* *Eph. II. 20.* *2 Pet. I. 19.* doctrinis imbuit, quibus ejusmodi advena gratiam divinam, in temporalibus &que ac spiritualibus beneficiis conspicuam, gloriae æternæ hereditatem, plenamque tandem ejusdem possessionem consequi docetur.

§. III.

Universam Scripturam Sacram non nisi dogmata & instituta universo humano generi, & quoad corpus utilia *Pf. LXXXI. 15.* *Prov. III. 1. 2. 4. 8. 10. 16. 23. 24.* *Malach. III. 10.* & quoad animam salutaria *Job. VI. 68. 69.* *XX. 31.*

P 2

2 Tim.

2 Tim. III. 15. sqq. proponere, propositaque inculcare, summa Dei revelantis sapientia *Deut. IV. 5. 8.* benignitasque paterna *2 Cor. I. 3. Eph. II. 4. III. 15. 1 Tim. II. 1.* præcipiuus revelationis hominibus factæ finis *Job. XX. 31. Rom. XV. 4. 1 Job. I. 4.* perspicua ipsarum litterarum sacramentum assertio *Job. V. 39. 1 Tim. III. 15.* sufficientissima rerum ibidem propositarum inductio, communis denique & perpetua totius ubique orbis Christiani confessio, omni absque controversia confirmant. Cum vero Nostra Ecclesia a scriptura sacra oraculis, sive fidei articulos, sive morum præcepta species, ne tantillum quidem discedat, vel discedere audeat, sed potius solam *scripturam divinam*, quod olim etiam de antiqua Ecclesia **ATHANASIUS** in *Interpretatione Psalmorum ad Marcellinum* confirmat, suam virtutis & veræ fidei Magistrum, fidei anchoram & sustentacula agnoscat & veneretur, quod cuilibet Dogmata Nostra ad verbi divini normam sedulo excutienti confessim patebit *vid. Libb. Symbb. p. 570. 632.* conser. *Secl. I. §. I.* eam non nisi generi humano universo utilia & salutaria proponere, inculcare atque sectari, sua sponte sequitur.

§. IV.

Jus naturæ in communem omnium hominum salutem mentibus esse inditum, quæ sine stricta & accurata illius observatione, in salvo esse nequeat, omnis facilis negotio largietur, cui unica tantummodo mica salis superest. Tantum vero abest, ut quicquam juri naturæ contrarium, apud Protestantes vel doceatur, vel admittatur, vel saltem excusetur, ut potius ejusdem axiomata, per nostræ Religionis statuta, fortissime stabiliantur, luculentissime explicitur, & ad summam, quam fortiri

sortiri possunt, præstantiam & perfectionem evançantur.
 Has enim naturæ leges neutiquam vel humano ingenio
 suam debere originem, vel ex pacto derivandas, yellon-
 ga consuetudine hominum mentibus impressas, sed ab
 ipso Creatore summo, in prima creatione hominibus in-
 ditas, cum ipsorum simul natura ipsis concreatas, jamque
 omnibus, nullo excepto, hominibus congenitas esse
 edifferimus, Rom. I. 19. sqq. II. 14. 15. confer B. BALTH.
 MEISNERI *Tr. de legibus Libr. III. p. 176.* & B. MICHAE-
 LIS FOERTSHII *Diss. de Notitia Dei teste Paulo nobis inna-
 ta.* Docemus eas tantæ esse necessitatis, tantæ constan-
 tiæ, tantæque obligationis, ut omnes omnino homines
Cobel. XII. 13. Rom. I. 32. Syr. XV. 21. omni tempore
Deut. VI. 2. Ps. CXIX. 20. 138. 144. 152. 160. 1 Thess. V. 15.
Tob. IV. 6. omni occasione *Jac. II. 10.* ita ad obsequium
 obligent, ut in iis negligendis vel vinculis saltem earum
 laxandis, ne ipse quidem Deus dispensare *Exod. XXXIV.*
 7. aut aliquantulum de rigore exactionis remittere, aut
 poslit *Rom. III. 3. 2 Tim. II. 13. Hebr. VI. 18.* aut velit *Ps.*
V. 5. 6. XLV. 8. nisi essentialis ejusdem sanctitas justitia-
 que *Prov. XVII. 15. Rom. I. 32. 1 Thess. I. 6. 1 Pet. II. 17.*
 labefiat, immo prorsus evertatur, confer B. BALTH.
 MEISNERUM *in Philosoph. Socr. P. III. Sect. II. Cap. IV.*
Q. XI. p. 548. & B. ABRAH. CALOVII *Socinismum Profliga-
 rum p. 151.* Et ejusdem *Systema Tom. II. p. 585. sqq.* Quæ-
 cunque demum ab eruditis juris naturæ principia, in me-
 dium afferuntur, (de quibus ex professo egit B. JOH.
 GVILIELM. JANUS in *Diss. Judicia eruditorum de prin-
 cipio Juris naturæ, cum vera sententia comparata,*) dum-
 modo justo suo fundamento non sunt destituta, omnia
 illa ex Nostra Religione illustrantur atque confirmantur.

Vel in iis, quæ *Celeberrimus Jenensis Theologus JOH. FRANCISC. BUDDEUS in Philosophia practica P. II. Cap. IV. Seçt. I. §. 22. 26. sqq. p. m. 249. 251. sqq.* existimavit esse legum naturalium principia, cui sententia non parum roboris ex ipsa Scriptura sacra accessisse videtur *Tit. II. 12.* illud ad oculum demonstrari potest. Deum enim verum *Deut. IV. 4. Job. XVII. 3. 1 Cor. VIII. 6. 1 Job. V. 7. 8.* eundemque solum *Ez. XLII. 8. Matth. IV. 10. Cultu interno Deut. VI. 5. Marc. XII. 30. Luc. X. 27.* & externo *Matth. V. 16. Rom. XII. 1. 1 Cor. VI. 20. 1 Petr. II. 9. 12. Jac. I. 26. 27. Matth. X. 32. Rom. X. 9. 10.* & legitimo quidem, i.e. quem ipse nobis præscripsit, modo collimus *Num. XV. 39. 40. Deut. XII. 8. Ez. LV. 8. 9. Jer. IX. 14. XIII. 11. 12.* Temperantia tam animæ quam corporis studium, quam fieri potest, maxime urgemos *Luc. XXI. 34. Rom. XIII. 13. 14. Eph. V. 18. Col. II. 23. 2 Pet. I. 5. 6.* & vel vita, vel sanitati, vel commoditati legitimæ & innoxiae *Ps. CIV. 15. Jer. XXII. 15. 1 Tim. V. 23.* vim quandam inferre prohibemus. Societatem cum omnibus plane hominibus *Rom. XII. 18. Hebr. XII. 14.* quoad in facultatibus nostris situm est, pacate, tranquille & omni absque fraude, vel convitiis, vel gladii abusu colimus *1 Tim. II. 2. 3.* Nec illud sicco pede transeundum esse videretur, quod plerique præstantissimorum juris naturæ Doctorum Religionis Evangelicæ vel fuerint Doctores, vel Filii, vel saltem non inimici.

§. V.

Nostra si porro considerantur Dogmata, omnia hæc de salute omnium hominum publica atque communi optime mereri erit in propatulo, quod de quibusdam
 con-

confirmasse sufficiat, quoniam idem ex his de reliquis
judicium ferre potest, qui veritatem cognoscendi inda-
gatione delectatur. Quam itaque de pœnitentia fovemus,
doctrina, saluti publicæ tam sollicite, tam accurate pro-
spicit, ut omnia, quæ eidem officiunt, non solum facta
Gen. IX. 6. Lev. XIX. II. 13. 15. Prov. XX. 22. XXIV. 21. 22.
XXIX. 2. Matth. XXVI. 52. Rom. XIII. 2. 1 Thess. IV. 6.
Syr. VII. 7. & verba Levit. XI. 14. 16. Cobet. X. 20. Jac. III.
9. sed etiam confilia Lev. XIX. 17. 18. Ps. XXXV. 20.
XXXVIII. 13. Prov. VI. 18. XXI. 12. XXIV. 12. 15. 17.
immo primo primos, uti in Theologorum scholis vo-
cari solent, animi motus *Matth. XV. 18. Rom. VII. 7. 1 Cor. IV.*
5. Jac. I. 5. Hebr. IV. 12. agnoscere peccata non levia & per se
venalia *Jer. III. 19. Ps. LI. 5. Rom. III. 20.* illa confiteri, *Ps.*
XXXII. 3. 5. Prov. XXIX. 13. serio deflere *Ps. XXXIX.*
5. sqq. CII. 10. II. Jac. IV. 9. 10. omnibus viribus detestari
Job. XXXIX. 34. sqq. Ps. XXXIX. 2. Prov. XXX. 32. 1 Pet.
IV. 3. summo, quo quidem id tentari potest, studio sup-
primere *Gal. V. 16. 24. Rom. XII. 9.* singula hæc & evita-
re *Tit. II. 12. 2 Pet. I. 4.* atque ex intimo animi recessu,
quantum fieri potest, evellere *1 Pet. II. 11. Syr. XXIII. 5.*
omnibus ejusdem doctrinam sequuturis præcipit man-
datque, &, ut jussa Dei exequi possint, sufficientissimum
ipsius Spiritus sancti auxilium promittit, offert & con-
fert *Ezech. XI. 19. 20. XXXVI. 27. Phil. I. 6. II. 13.*

§. VI.

Cum igitur causam somitemque eorum, quæ secu-
ritati omnium hominum publicæ damna inferunt, vo-
luptatem nimirum peccandi, hominum mentes subigen-
tem, ex animo aseclæ sui removerit *Ps. CXIX. 36. 37.*
62. 136.

52. 136. 139. 163. *Prov. XXIX.* 27. *Rom. VII.* 22. 24. Nostra Religio, & eum potius odio & indignatione in hæc peccata impleverit; jam illum per solam fidem, in Jesu Christi meritum, gratiam Numinis paternam & amissæ salutis jura adire jubet *Rom. III.* 24. 25. 28. IV. 6. *Gal. II.* 16. *Tit. III.* 5. *Hebr. IV.* 16. *X.* 19. I. *Job.* II. 27. V. 14. Hic igitur non humana quadam declaratione, sed divina propositos astumatione, justus pronuntiatur *Rom. I.* 17. *III.* 21. 25. *2 Cor.* V. 21. nec justitia finita humanisque operibus impetranda *Matth. V.* 20. *Luc. XIIIX.* 11. sed infinita plane & divino æterni mediatoris merito acquisita fulget *A&f. X.* 43. *Rom. III.* 4. 9. *Phil. III.* 8. 9. Jam vero hominem coram ipso Deo justum atque iustitia divina & infinita præditum, salutis publicæ esse munimentum & propugnaculum *Jer. XIIIX.* 20. *Ezech. XXII.* 30. non abnuet, qui rem iusta astumatione metitur, *Prov. III.* 33. *XIV.* 34. *XXIIX.* 2. Saltem horum Deus fidem & iustitiam intuens, non solum integras domos multis beneficiis affecisse *Gen. XXX.* 27. *XXXIX.* 3. 23. *1 Reg. XIIIX.* 9. 14. 16. 20. non solum integras civitates fovisse, defendisse, farta tectaque conservasse *2 Reg. VI.* 13. 14. *sqq.* sed universis adeo regionibus, exitio jam olim ob scelerum abundantiam, & peccantium contumaciam destinatis, pepercisse, vel certe parcere voluisse, in Scripturæ sacra & Historiæ Ecclesiastica monumentis legitur *Gen. XIIIX.* 23. 32. *Prov. XI.* 11. *Jer. V.* 1. *A&f. XVII.* 24. Confer FRIKII *Diss. de Legione fulminatrice*. Ea demum ex hac nostra, de gratuita per Jesum Christum nobis acquisita coram Deo justificatione, sententia enascitur salutis publicæ stabilitas, omniumque incolumentas, quæ in minimis non erat ponenda, tantum abest, ut alicui saltem in damnum cedere possit.

§. VII.

§. VII.

Major etiam est & excellentior, quam ut perfecte a nobis delineari possit, utilitas, quam doctrina Evangelica spondet, dum hominis intellectum divino lumine illustrat *Pf. CXIX. 105. Prov. VI. 23. Eph. V. 8.* eundenique non tam consiliis fluxis atque incertis, sed potius firmis & evidentibus imbuīt, ea, quæ revera omnium hominum saluti conducant, quæ e contrario eidem principiis obsint, dignoscendi; voluntatem vero promptitudine *Pf. CX. 3. CXIX. 32. 45. 139. Rom. XII. 8. 2. Cor. IX. 2. viribusque Col. I. 10. Eph. III. 16.* induit, ut feliciter in iis virtutibus progredi, omniaque spontaneo mentis impulsu, & superatis facile impedimentis exequi possit, quæ ad salutem hominum communem facere non conjectura quadam animadverterat, sed firma notitia a Deo ipsi instilata cognoverat. Quæ vero Religio intellectum ita instituit perfecte, & voluntatem flectit tam efficaciter, & adjuvat tam insigniter, in iis seclandis commodis, quæ aliis omnibus salutem, securitatemque pollicentur; illam humani generis florem & incrementum admodum augere, omnes certatim prædicent necesse est.

§. VIII.

In eo consentiunt omnes atque singuli, fortissimum civitatis vinculum, firmissimumque civitatis fundatum, civium esse amorem atque concordiam *Cobel. IV. 12. Jer. XXIX. 7. Luc. XI. 17.* Sicuti enim hac res parvæ crecent, ita e contrario maximæ etiam & robustissimæ discordia vitio dilabuntur; ut sapienter olim, qui & historiarum scrutinio, & judicii acumine, & propriæ experientiæ beneficio magnam sibi collegit rerum politicarum intelligentiam, CICERO in *Lælio* dixerit: *Non aqua,*

Q

non

non igne, non aere, ut ajunt, pluribus locis utimur quam amicitia: quia, quod idem Autor monet in Orat. II. Philippica, Reipublicæ præsidium, charitate & benevolentia ci-vium mutua se p̄petuum esse oportet. Ex eo autem facile omnis intellegit, quæ eam hominibus exponit, præcipit arque inculcat, doctrinam, multum conferre ad salutis publicæ stabilitatem. Nostra vero Religio Evangelica, nulli plane in genuino proximi amore exponendo, promovendo & hominibus imprimendo est secunda. Neminem plane, quo cuncte demum nomine venire queat, ab eo excludi posse docet Prov. XXV. 21. Matth. V. 43. 44. Luc. X. 37. Rom. XII. 20. nullum temporis decursum, nos a summa ejus obligatione absolvere posse tradit, eum neutrum externa oris gestuumque simulatione contineri Jac. II. 15. 16. sed altas potius in hominum animis radices age-re Rom. XII. 10. 1 Job. III. 16. & ex intimo mentis recessu profluere debere monet Matth. VII. 42. XXII. 39. Eph. IV. 2. adeoque tanquam universalem 1 Cor. X. 33. Phil. IV. 5. sincerum Rom. XII. 9. 1 Cor. X. 24. 33. 1 Tim. I. 5. constan-tēm 1 Cor. XIII. 8. perpetuum atque intensissimum Lev. XIX. 18. Marc. XII. 31. depingit, suisque filiis id sedulo observandum injungit, quod AUGUSTINUS de sa-lutaribus Doctrinis inculcare consvererat: *Qualem cupis erga te esse Deum, talis esto ipse conservo tuo.* Immo tam accurata est & sincera Nostra Religio in genuino veri in proximum amoris fundamento designando, ut omnem, ex sola αὐθεωπαγεταικά, hominibus saltem placendi studio, ortum Prov. XXIX. 25. Rom. XV. 1. 2. Eph. VI. 5. 6. 2 Tim. III. 5. aut alio quodam principio minus legitimo enatum, tanquam spurium repudiet, 1 Job. III. 18. & non nisi talem exigat amorem, qui ex Dei Spiritus sancti motu Gal. V. 22.

Eph.

Eph. V. 9. ex intimo animi desiderio *Rom. XII. 9. 10.* ex mandati divini præscripto *Matth. XXII. 39.* *1 Tim. I. 5.* *Rom. XIII. 10.* ex officii necessarii consideratione *Að. VII. 26.* *Gal. V. 6.* *Col. I. 10.* *Phil. I. 27.* *1 Tim. VI. 1.* originem suam traxerit, in iisdemque solis subnitatur. Homines, qui diversam sequuntur Religionem, neutiquam ab eo ipso, qui proximo debetur, amore vult eximendos *Luc. X. 30. 37.* *Rom. X. 1. 2. 3.* Errores enim, non homines eisdem implicitos, odisse docet Protestantium doctrina, *Matth. V. 45.* *coll. 48.* quos potius, tanquam proximos diligendos *Rom. XII. 17 -- 21.* omni beneficio afficiendos *Luc. X. 37. sqq.* *Rom. XII. 14.* humanitate devincendos *Prov. XXXV. 21.* mansuetudine tolerandos *Matth. V. 5.* & quantum per leges divinas humanasque licet, fovendos *Lev. XIX. 18.* *Matth. XIII. 28.* *Hebr. XI. 30.* eorundemque commoda procuranda *Rom. XII. 20.* esse svadet atque hortatur vid. *Magnifici nostri SCHMIDII, Præsidis & Præceptoris mei, æterna mentis veneratione, pie prosequendi Diff. de Εχθροφilia ad Matth. V. 43 - 45 Lips. habitam 1719.* Tanto vero animos combinante amore ordo & compages societatis laxari, salusque Reipublicæ in periculum adduci plane nequit, quia mutuum illud concordia studium, pericula quævis, conjuncto consilio, & viribus unitis, longe lateque propulsare docet, & tranquille prospereque vitam degere compellit.

§. IX.

Non segnior est Nostra Religio in aliis vitiis eliminandis, quæ Rempublicam concutiunt, labefactant, eventuntque, & iis virtutibus urgendis, a quibus incolumitas communis, si non ex omni, saltem ex majore parte dependet.

Q. 2

det.

det. Ut enim avaritia multis privatorum hominum obnoxia est scatetque periculis, ita eam sapissime graviter admodum afflixisse Rempublicam constat *Jos.* VII. 1. 5. *1 Sam.* VII. 3. *coll.* 5. *XXV.* 10. 11. *coll.* 13. 22. 34. *Syr.* XXVII. I. *1 Tim.* VI. 9. 10. Huic vero vito vim & alimenta subtrahit, dum quemlibet sua forte contentum esse *Job.* I. 21. *Prov.* XV. 16. XVI. 8. XVII. 1. XXX. 7. *sqq.* *Cobel.* V. 9. *1 Tim.* VI. 6 *sqq.* *Hebr.* XIII. 5. *Syr.* XL. 18. nec animo suo rebus praesentibus affixum habere, sed ea semper spectare jubet, quorum aeterna est possessio; praesertim vero rationes publicas, privatæ semper utilitati, preferendas esse & anteponendas monstrat *Rom.* XIII. 5. 10. *1 Cor.* X. 24. 33. XIII. 5. *Phil.* II. 4. Superbia, qua in altum ententes homines res novas & periculosas in securitatis publicæ exitum non raro moliuntur *Num.* XVI. 9. 10. *1 Sam.* X. 27. *coll.* XI. 12. *2 Sam.* XV. 4. 6. *1 Reg.* XII. 14. 18. 19. XIX. 3. 5. 20. 21. *1 Par.* XXII. 2. 14. *Prov.* XXIX. 23. *Ez.* XXXV. 8. 9. 18. 20. *coll.* XXXVII. 36. 38. *Hof.* V. 5. obviam itup decretis, quibus homines mores ad humilitatem *Phil.* II. 3. *1 Pet.* V. 5. 6. *Jac.* IV. 6. comitatem *2 Tim.* II. 24. *Eph.* IV. 30. & humanitatem *1 Cor.* XIII. 4. *sqq.* *Phil.* IV. 5. *Gal.* V. 22. *Col.* III. 12. componere obligantur. Et quemadmodum fastum & arrogantium infelicem multorum vitiorum matrem esse condocemus *Syr.* X. 15. ita e contrario cum AMBROSIО, Mediolanensem in sacris Antistite, in Psalmum CXIIX. Serm. XX. Humilitatem non incongrue virtutum omnium caput vocari posse, statuimus, que totum veluti quoddam nostrorum actuum foveat corpus. Ne tandem homines laxatis voluptatum habenis, in pessima quæque ruant, & ne a sincero salutis publicæ studio & amore abducti, & ipsi in perniciem pellicantur, & Rempublicam variis

variis involvant obruantque periculis *Gen. XXXIV. 25. 26.*
Num. XI. 4. sqq. XXV. 15. sqq. Judic. XVI. 1. 17. 21. XIX.
22. sqq. coll. XX. Prov. XXIII. 21. Syr. XXXI. 30. 36. de
 industria ac labore alacriter suscipiendo, & strenue
 continuando admonitionem in consilium adhibet
 sanctior Protestantum Religio *Prov. XII. 23. Act.*
XIIX. 3. XX. 35. 1 Cor. IV. 12. 1 Thess. II. 9. IV. 11.
2 Thess. III. 10. 12. Syr. XXXI. 27. animum ad temperantiaz,
 continentiazque studium a pueris instituendum esse præci-
 pit; neminein sibi soli, sed Deo, sed proximo, sed Reipu-
 blicæ universæ natum esse indicat, quæ posterior præser-
 tim non exiguam ortus nostri partem sibi jure quodam
 vindicet; opesque acquisitas non luxuriæ, sed virtutis ad-
 ministras possidere jubet *Luc. XII. 21. XIV. 13. XVI. 9. Eph.*
IV. 26. 1 Tim. V. 10. VI. 17. sqq. Hebr. XIII. 2. 16. Tob. IV.
7. sqq. Syr. IV. 5. 10. XIV. 13. sqq. Elifis itaque in devia fle-
 ctendi initii, virtutes contrarias urgendo nihil, nisi quod
 Reipublicæ interest, adstruit Doctrina Evangelica.

§. X.

Injurias, ab aliis cœtui suo odiorum acerbitate & sup-
 pliciorum quandoque gravitate illatas, præsenti sub-
 missoque animo ferre *Prov. XXII. 4. Cobel. IV. 1. Act. V.*
40. 41. XVI. 20. 25. 1 Cor. IV. 11. sqq. 1 Pet. II. 19. nullas ve-
 ro aliis inferre *Lev. XIX. 13. 1 Sam. XII. 3. Ps. VII. 4. 5.*
LXII. 5. Prov. XIII. 23. immo ne compensare quidem
 mavult *Prov. XVII. 13. XX. 22. XXIV. 29. Rom. XII. 19.*
 sed Ecclesiam imitatur antiquam, quæ, AUGUSTINO
 commemorante, de agone Christi *Cap. XII. Impetus Ho-*
stium suorum fregit, magis magisque roborata est, non resi-
stendo, sed perferendo. Itaque illum morem sibi reddere
 familiarem conantur Nostræ Religionis socii, quem omni-

um iustorum fuisse JOH. CHRYSOSTOMUS in Gen. Cap. VIII. Hom. XXV. jam pridem annotavit, ut, quando aliquid propter Deum ferunt, non res ipsas, quae fiunt, spectent, sed causam secum expendentes facile patienterque omnia ferant. Hoc adeo more Christianis recepto, & ea ducti patientia consuetudine, innocentes, quod TERTULLIANUS de sui temporis fidelibus egregie admodum in *Apologia* pronuntiat, Nostra vero Ecclesia suos fideliter condocet, nocentibus cedunt, infantes penitentia cruciatis acquiescunt, ejusdemque disciplinae se cultores esse, testantur, APUD QUAM MAGIS OCCIDI, QUAM OCCIDERE LICEAT. Hostes igitur potius precibus ad Deum fusis *Luc. XXIII. 34. Act. VII. 59.* bonis operibus *Hebr. X. 24. 1 Pet. III. 1.* patientia *Prov. XXV. 15. Luc. XXI. 19. Rom. V. 34. 2 Thess. V. 14. 2 Pet. I. 6. Apoc. XIII. 10. Syr. II. 4.* immo multo pro malefactis beneficio *1 Sam. XXIV. 5. 6. 11. 12. XXVI. 9. 10. 2 Reg. VII. 14. 21. sqq. Matth. V. 44. 45. 1 Cor. IV. 13. Luc. XXII. 51. Rom. XII. 14. 20.* ad mentem saniorem & benigniorem reducendos esse cupit Nostra Ecclesia, quoniam, modo excitato CHRYSOSTOMO in *Matth. X. Hom. XXXIV.* suffragante, multo majus & admiratione dignius opus esse, censet, mentem atque animum adversariorum commutare, quam gladio superare. Nisi vero hunc obtinuerit scopum, sed adversarii potius Christiana hac patientia & lenitate audacieores facti, pios graviter vexare perexerint; non tamen confestim ultricem Dei vindicis justitiam in oppressores invocare suis permittit cultoribus *Matth. VI. 10. 14. 15. XII. 21. 25. Luc. VI. 31. IX. 55. Syr. XXIX. 2.* sed eorum potius memoriam illud AUGUSTINI in *Psalm. LXXIX.* insigit: *Malum pro malo non est cuiquam reddendum, non solum factum malum pro facto malo, sed NEC VOTUM M A L U M*

LUM pro voto, vel factō malo. Reddit autem votum malum, qui eritam si se ipsum non vindicat, tamen ut Deus ejus inimicum puniat, EXPECTAT ATQUE EXOPTAT. Hinc eos in paterno Dei consilio acquiescere hortatur Job. V. 18. 19. 21. Prov. III. 12. Mich. VII. 7. sqq. Hebr. XII. 6. Apoc. III. 19. piis omnia in bonum cedere, solaminis loco Cobel. VIII. 12. suggerit Ps. XXV. 10. XXXVII. 37. Job. V. 17. Ad. XIV. 22. Rom. VIII. 18. 28. Iac. I. 12. fidem ejusmodi vexationibus inexercitatam languescere & crebris otiosam tentari incommodis, cum AMBROSIO in Psalm. LXIX. docet, & ad patientiam eorum excitandam & confirmandam, cum Petaviensium in sacris Epibero, HILARIO lib. VII. de Trinitate palam profiteri non erubescit: HOC ECCLESIAE PROPRIUM ESSE, ut tum vincat cum leditur, tum intelligat, cum arguitur, tum obtineat, cum deseritur. Quæ vero Religio filios suos animum tam partentem, tam innoxium, tam benevolum sibi induere & fideliter adsciscere docet, eoque ipso omnem adeo tumultibus speciem & prætextum adimere atque detrahere conatur, Matth. V. 10. 1 Pet. II. 20. III. 14. IV. 15. 16. illa, uti suos insigni ornat virtutis constantia & conscientia tranquillitate; ita adversariis, ab omni vel insidiarum metu, vel injuria in eorum finum refundenda suspicione, vel manifesta oppressionis periculo liberatis, dulcem spondet stabilemque securitatem: salutem vero omnium communem & publicam a concussionibus, conspirationibus, aliisque motibus perniciosissimis immunem præstet atque indemnum.

§. XI.

Qui litterarum sacrarum Historiæque tam Civilis quam Ecclesiastica peritus, quantum preces pro aliis fu-

ſa

ex pondus atque momentum saluti hominum communis
 adferant, secum perpendit Exod. XVII. 11. sqq. XXXII. 9-14.
 2 Par. XIII. 14. XXXII. 20. sqq. 1 Sam. XII. 19. 23. Jes.
 XXXVII. 4. 14. sqq. Jer. XIV. 7. sqq. 19. sqq. XLII. 2. 4.
 20. Dan. IX. 3. sqq. 20. 23. sqq. Jac. V. 16. 17. 18. is facile a
CHRYSOSTOMI stabit partibus *Libr. II. de adorando*
Deo, differentis: *Multis sanctis datum esse, deprecationis*
præsidio servare non solum gentes & civitates, sed orbem uni-
versum. Quam ob causam fieri deinde non poterit, quia
 unam nobiscum ineat sententiam, hanc doctrinam omni-
 bus & que ac singulis plurimum prodeesse hominibus, quæ
 votis suspiriisque ad Numen ferventissime transmissis fa-
 lutis publicæ causas, & omnium hominum temporalem,
 & nî ipsi repugnantia sua preces irritas reddant, aternam
 salutem fovere & sustentare non modo luculentissime do-
 cet, sed etiam, qua potest fieri, industria & severitate in-
 jungit. Nostra vero Ecclesia Evangelica illam, de qua §. II.
 & VIII. verba fecimus, genuino charitatis Christianæ fun-
 damento superstructam proximi salutis curam cum preci-
 bus calidissimis conjungit, quas pro omnibus in mundo
 hominibus 1 Tim. II. 1. sive illi sine vere credentes Eph.
 VI. 18. 19. Phil. I. 4. 2 Thess. I. 11. Jac. V. 14. 15. 16. sive hy-
 pocritæ Exod. VIII. 25. sqq. IX. 21. 30. X. 16. 18. Num. XIV. 13.
 Deut. IX. 25. Ps. LXXXIX. 36. sqq. sive manifeste impii Exod.
 XXXII. 11. sqq. Matth. V. 44. Luc. XXIII. 34. 1 Cor. IV. 12. sive
 schismatici, 1 Cor. I. 3. 7. 8. coll. II. sqq. & coll. III. 3. sqq. sive her-
 retici, Ad. XXVI. 29. coll. 2. 3. sive plane infideles Jer. XXIX. 7.
 immo veritatis divina & Ecclesiæ Christianæ hostes adeo
 acerrimi Ad. VII. 59. ex intimo amoris, & misericordia
 affectu Lev. XIX. 34. 1 Cor. XVI. 14. Phil. I. 4. & studio in-
 desinenti Rom. XII. 12. 1 Thess. V. 17. 2 Thess. I. II. fundere
 jubet,

jubet, idque non libertati civium suorum relictum, sed officium esse monet hominis Christiani valde necessarium, & a Salvatore nostro graviter affeclis suis præscriptum *Mattb. V. 44.* adeo quidem, ut, qui in eo præstanto veretur negligentius, contra ipsam Numinis legem peccet *1 Sam. XII. 23.* & qui illud munus plane subterfugiat, fidem excusisse atque ex gratia divina statu prolapsus esse censatur *1 Job. IV. 20.* *Oramus idcirco nos Evangelicæ Religionis filii,* quemadmodum olim, teste *TERTULLIANO in Apologia*, fratres nostri in Ecclesia antiqua, *non solum pro Imperatoribus, non solum pro ministris eorum & potestatisbus, sed etiam PRO UNIVERSO SECULI STATU ET PRO RERUM QUIETE.* Pro communi & omnium salute semper devote, pure & ardentissime apud Deum nostrum intercedimus, *ad eum suspicimus Christiani manibus expansis, QUILA INNOCUIS, capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de peccatore oramus,* quemadmodum idem ille Christianorum defensor, eleganti hac precum olim fusarum descriptione, mores quoque, consuetudinem & ardorem Ecclesie Evangelicæ delineat. In iis vero precibus tantum abest, ut Religio Nostra suæ Ecclesiæ usui solummodo sit intenta, ut potius, quemadmodum idem res ipsa loquitur, omnium hominum & adversariorum etiam præcipue salutem & incolumentem avide desideret, pie exoptet & omni molimine stabilire allaboret.

§. XII.

In eo etiam utilitate, in quosvis homines præsertim vero alienæ Religioni addictos redundant, se commendat Nostra Religio, quod facillimam certissimamque iis com-

R

monstrat

monstrat rationem veram a falsa dijudicandi & secer-
nendi Ecclesiam, quo in negotio privatis suis rebus, de
causa sua bonitate confusa, denuo non studet, sed homi-
num potius aliorum omnium commoditati consulit, rei-
que veritatem cognoscendam ad legitimum eorum defert
judicium. Ut enim quilibet, sana mente praeditus & veri-
tatis indagandæ cupidus, qua vera sit, cujus societatem
amplecti debeat, Ecclesia, facile & certissime agnoscat,
non ipsa proprio veluti ausu ejusdem signa constituit, sed
a Christo indicata *Job. VIII.31. X.27. XV.10.14.* in Eccle-
sia vera semper observata *1 Cor. XV.1.2. 1 Tim. III.15. VI.*
3.4.5. 2 Tim. I.13. Tit. II.1. 2 Job. v. 9. 10. ex ipsa deni-
que Ecclesia natura petita *1. Tim. III.15.* proponit. Non
incerta, fallacia, multisque aliis malignantium Ecclesiis
communia recenset, sed certissima *Job. XVII.17.* infallibilia
Ps. CXIX.142.160.165. perspicua *Ps. XIX.9. CXIX.104.105.130.*
140. & propriissima *Job. V.24. VIII.31. X.4.5.14. XVII. 8.*
hominibus in veritatem inquisituris indicat. Multo
eorum & numero cumulo hominum mentem obrue-
re recusat, & duo tantummodo, omnem de vera Ecclesia
litem dirimere, dubium omne refellere posse, docet.
Sunt illa vera Ecclesiæ signa pura & ex ipso limpidissi-
mo litterarum sacrarum fonte hausta verbi divini prædi-
catio *Luc. X.16. Act. XXVI. 22. sqq.* & legitima, i. e. institu-
tionis divinae tenacissima, Sacramentorum administratio
& dispensatio *Matth. XXIX.19.20. Act. II.42. Rom. IV.11.1. Cor.*
X.17. XII.13. quorum prius signum jam pridem, haud secus
quam par est, AUGUSTINUS de civitate Dei libr. XI. Cap. I.
TESTEM CIVITATIS DEI, posterius I. II. contra Parmen.
Cap. XIII. ECCLESIAE CHARACTEREM appellavit. Hæc
signa nemo prorsus, cui veritas & pietas curæ & cordi est,
vel

vel perplexitatis *Deut. XXX. 12.* sqq. *Rom. X. 6.* vel incertitudinis *2. Pet. I. 19.* vel obscuritatis *2. Cor. IV. 3. 4.* vel nimis difficultatis *Pf. XIX. 8. 1. Job. II. 13. 14. Pf. CXIX. 99. 100.* vel rationis cuiusdam inadæquatæ *Job. VIII. II.* argue re jure meritoque potest. Recte enim & plane ad Ecclesiæ Evangelicæ mentem *EPIPHANIUS Cypriolim Episcopus libr. III. contra Aetium* ait: Πάντα ἡμῖν φατενά τα της θειας γραφής, καὶ τα της αγίας πίστεως, δὲν σκολιόν, οὐ ἐνυπτίον, οὐ σραγγαλιώδες — — — Πάντα γάρ σαφῆ, εν τῇ θείᾳ γραφῇ τοῖς βελομένοις ΕΥΣΕΒΕΙ ΔΟΓΙΣΜΩ προσέρχεσθαι τῷ θεῷ λόγῳ, καὶ μὴ διαβολὴν ἐνέργειαν ἐν εαυτοῖς ἐγνισθήσαντας εαυτὲς κατατρέψειν εἰς τὰ βάρεσθαι τῇ θανάτῳ. i. e. *Omnia nobis perspicua sunt, QUAE SUNT DIVINAE SCRIPTURÆ ET SANCTÆ FIDEI, nihil obliquum, nihil contrarium, nihil tortuosum.* — — — *Omnia clara sunt et manifesta iis, qui volunt PIO JUDICIO ad verbum divinum accedere, et diabolica operationem in se non receperunt, qua se ipsos in barathrum mortis coniicerent.* In iis vero signis dijudicandis, & huic vel illi Ecclesiæ adjudicandis, hominum potius salutis, quam proprii commodi rationem quod habeat nostra Ecclesia, vel ex eo liquet evidentissime, quod euilibet hominum, sive nostra Ecclesiæ nomen suum professus, sive aliena casta huc usque fuerit sequens, scripturam sacram legendam scrutandamque prouerbiis offert, *Job. V. 39. Col. III. 16.* ut clare perspicere, justeque discernere queat, num signa commemorata Ecclesiæ convenient Evangelicæ, an in alium quendam coetum quadrent *Act. XVII. II.* Id quod commode ut ab ipso fiat, & ne, quæ communis, constans & perspicua Protestantismus sit Doctrina, ambigere possit vid. *Pref. Libb. Symbb. lit. b.*

3. §. speramus itaque & ipsos Libb. Symbb. p. 298. & 830. §.
in conspectu. fidei nostræ confessiones publico nomine
 conscriptas, confer Pref. Aug. Confess. Art. Smalc. & From.
 Concord. principum, doctorumque subscriptione confir-
 matas, vid. adhuc Pref. Libb. Symbb. ipsosque Libb. Symbb.
 p. 46. 356. 830. ipsi exhibemus, nec rigorosissimum eorum
 Ecclesiæ Nostræ Symbolorum ad lydium lapidem scriptu-
 ræ sacræ examen reformidamus, Act. XXVI. 22. coll. 3. 1. Cor.
 XIV. 37. Phil. I. 10. sed potius constanter & sedulo nobis
 expetimus vid. Libb. Symbb. p. 570. 632. quoniam nihil mi-
 nus Ecclesiæ Nostræ, quam exactissimam cum oraculis di-
 dinis convenientiam, deesse, instituto ejus rei toties ex-
 amine, optime novimus. Aliarum etiam Ecclesiarum Li-
 bros Symbolicos eodem plane modo excutere scruta-
 rique neutiquam prohibemus Matth. VII. 16. 20. 1. Thess. V.
 21. 1. Job. IV. 1. Apoc. II. 2. Sed iis etiam, qui veritatis in-
 dagatione & pietatis, non vero vitiosæ curiositatis studio
 impelluntur Job. VII. 17. qui rectum sibi atque limatum
 de rebus sacris formarunt judicium, Hebr. V. 14. & frau-
 des adversariorum detegere Eph. IV. 14. V. 6. Col. II. 8. 18.
 remque ipsam contueri & introspicere norunt Tit. I. 9.
 suademos, quoniam de immobili Doctrinæ Nostræ sta-
 bilitate & certitudine convicti, certo certius scimus, Reli-
 gionis nostræ veritatem, ea methodo, veluti ex opposito,
 dilucidius patere, & scrutatoris, æqui & legitimis mediis
 instructi, conscientiam de eadem non labefactari, sed,
 cum nullibi, nisi in Nostra Doctrina, firmiter & tuto sub-
 sistere possit, egregie confirmari. Confer MAGNIFICI
 NOSTRI KLAUSINGII, summa mentis veneratione
 semper mibi nominandi Diff. de Δοκιμασίᾳ πάντων ex 1. Thess.
 V. 21. quam habuit Lips. 1721. & B. JOH. CONRAD.
 DANN.

DANNHAUERI *Diss. de Probatione Spirituum præsertim p. 25. sqq.* Dum vero ita se gerit Nostra Ecclesia, non qua-
fi pro imperio, Religionem suam esse veram, & recensita
ipſi convenire signa, statuit, sed se potius ipsam, cum aliis
Ecclesiis, omne partium studium detrectans, ad veritatis
examen sifit, *I. Pet. III. 15.* & ad æqui scrutatoris judici-
um se æque ac alios cœtus remittit. Nec alia veræ Ec-
clesiæ signa, vel diversam ab hac examinis methodo ra-
tionem olim apud pios obtinuisse, hominibusque, non
eruditis modo, sed etiam aliis laicis proposita & inculca-
ta fuisse, constat. Græcorum quidem de universo hocce
negotio sententiam non solum *CONSTANTINI MA-
GNI*, qua Patres Nicænos allocutus est, oratio luculen-
tissime prodit, sed & *BASILII* & *CHRYSOSTOMI*
effata perspicue satis proponunt. Ita enim primus ille,
qui JESUM Christum supremum Regem veneratus est, Im-
perator, teste *THEODORETO H.E. libr. I. Cap. VII.* E-
vangelici, inquiebat, *¶ Apostolici libri, nec non antiquorum
Prophetarum oracula plane instruunt nos de sensu Numinis.*
*Proinde, hostili deposita discordia, ἐν τῶν θεοπνέυσων λέγων
λάβωμεν τῶν γῆγμένων τὴν λύσιν, ex dictis divinitus inspira-
tis resolutionem rerum controversarum sumamus.* *BASI-*
LIUS, vero Neocæsareensis in Ponto Episcopus, adhuc signi-
ficantius mentem suam expressit, dum *Epist. LXXXII. in-*
*quit: ἡ θεόπνευσος ἡμῶν διαιτησάτω γραφή καὶ ΠΑΡΟΙΣ
ΑΝΕΤΡΕΘΩ ΤΑ ΔΟΓΜΑΤΑ ΣΥΝΩΔΑ ΤΟΙΣ
ΘΕΙΟΙΣ ΛΟΓΟΙΣ, ΕΠΙ ΤΟΥΤΟΥΣ ΗΖΕΙ ΠΑΝ-
ΤΩΣ ΤΗΣ ΛΗΔΕΙΑΣ ΗΨΗΦΟΣ.* i. e. *Scriptura
divinitus inspirata arbiter a nobis constituatur, & APUD
QVOS INVENIENTUR DOGMATA DIVI-
NIS VERBIS CONSONA, ILLIS OMNINO-*

R 3

VERI-

DE UTILITATE

VERITATIS SUFFRAGIUM ACCEDET. Constantinopolitanorum vero allegatus Episcopus , diserte *Hom. XXXIII. in Act. Apostol.* profitetur: *Si quis illis (scripturis divinis) consentit, Christianus est, si quis contra illas pugnat, procul est ab hoc canone, & Hom. XLIX. in Matth. Nullo, ait, modo nunc cognoscitur vera Christi Ecclesia NISI TANTUMMODO per scripturas — Ex quo enim heres occupavit Ecclesiam, NULLA PROBATIO potest esse vera Christianæ Religionis NISI PER SCRIPTURAM DIVINAM.* Nec Latinae Ecclesiæ priscæ aliam fuisse mentem AUGUSTINUS, immortale ejusdem lumen, prodidit, qui graphice admodum *in Epistol. contra Petil. cap. III.* Non audiamus, scribit, *haec dico, haec dicit, sed audiamus, HÆC DICIT DOMINUS.* Sunt certe libri dominici, quorum autoritati utrique consentimus , utrique credimus , utrique servimus . IBI QVÆRAMUS ECCLESIAM, IBI DISCUTIAMUS CAUSAM NOSTRAM — Nolo enim humanis documentis, SED VOLO DÍVINIS ORACULIS SANCTAM ECCLESIAM DEMONSTRARE.

§. XIII.

Innovationem, mutationemque plerumque confundere Rempublicam, qui in prudentia civili hospites non sunt, optime intelligent ; quæ vero eo tutiori versatur in loco , si una semper conservetur Doctrinæ facies, ut veritas ubique sibi constet, ubique sibi similis conspicatur, ex qua assertionum perpetua constantia quilibet non parum conscientiæ stabilitatis, certe multum utilitatis expectare potest. Ita nimium qui constantem & per omnia sibi consentaneam amplectuntur doctrinam, majore induuntur fidei Παρρησια & fiducia *Aet. XXVI. 22. sq. Eph.*

II. 20.

II.20. 2. Pet. I. 19. 1. Job. II. 7. illi vero, qui eam non sequuntur, certissime tamen scire & indagare possunt ejus decreta, & plane non habent, cur metuant, ea aliquando mutatum, vel in aliorum damna deflexum iri. Illam vero doctrinæ coelestis antiquitatem genuinam, perpetuamque constantiam salutaris, quam nos profitemur, habet Religio. Hæc enim cum TERTULLIANO, *Carthaginensi Presbytero*, libr. IV. contra Marcionem Cap. IV. id verius esse, existimat, quod prius, id prius, quod ab initio, ID AB INITIO, QVOD AB APOSTOLIS, & in ea regula antiqua suos incedere jubet, quam Ecclesia primitiva ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit. Libr. de prescriptione adversus hæreses. Hæc sua decreta, quoniam nec nova Aet. XXVI. 22. sq. nec incerta Job. XVII. 7. nec varietati obnoxia 1. Tim. VI. 3. nec mutationi ulli subiecta sunt Prov. XXX. 6. 1. Cor. III. 11. Gal. I. 8. sq. 1. Tim. IV. 7. 2. Job. v. 9. Apoc. II. 25. III. 11. neque Ecclesiæ turbas excitare, neque statum civilem concutere & obruere, neque homines confundere, neque, qui adversam tuerentur partem, hostes ad suspicionem periculosi timoris plenam sollicitare possunt, nec in alicujus perniciem se detorqueri patientur Prov. XII. 12. XXI. 12. 1. Cor. XIII. 5. Syr. XXX. 10. Sed quoniam, quod olim Divus IGNATIUS, Antiochenus Episcopus & Martyr, in Ep. ad Philadelphens. Cap. VIII. §. 8. de se pie testabatur, ἡμῖν ἀρχέσαι ἐστὶν Ἰησὸς ὁ χριστὸς, ἐπαρεκτονει πρόδηλος δὲ ἐστιν, nobis pro antiquitate, seu Archibvis antiquis est JESUS Christus, quem non audire, perniciem manifestissimam existimamus; ex ejus ore, non nisi antiquissima, perspicua & constantissima proponimus asserta, nec cuiquam Deut. IV. 2. XII. 32. Prov. XXX. 6. five Propheta Matth. VII. 15. 1. Job. IV. 1. five Apostolus

1. Cor.

1. Cor. XI. 13. 26. Gal. II. 4. 2. Pet. II. 1. sive Angelus ipse de Cœlo Gal. I. 8. 9. immo personatus quidam & ementitus Christus Matth. XXIV. 23. 24. esse vellet, ejus rei copiam ullam facimus, ut vel minimam saltem in iis particulam Matth. V. 19. 2. Cor. II. 17. Iac. II. 10. sive immutare, Gal. I. 8. 2. Cor. XIII. 8. sive addere, sive detrahere Apoc. XXII. 18. 19. possit. Ceterum convenientiam Nostræ Doctrinæ accuratissimam cum Adamitica, Abrahamitica, Mosaica, Prophetica, Apostolica & Patristica, satis superque & ad oculum quasi demonstrarunt Religionis Evangelica Doctores, ex quibus WILHELMI LYSERI Tr. de trifolio veræ Religionis Adamiticae, Abrahamiticae & Israeliticae juxta unifolium Lutheranae Religionis, & MARTINI CHEMNITHI, ANDREÆ MUSCULI, JOH. GERHARDI & HENRICI ECKARDI scripta allegasse sufficiat.

§. XIV.

Omnium etiam hominum securitati publicæ optime consultur per Religionis Nostræ dogmata, quibus non solum certis conditionibus cum adversariis pacisci permittimus Ecclesiæ nostræ sociis; sed etiam pactum initum & fidem datam strictissime servandam esse conduceamus Prov. XXV. 14. XII. 19. 22. Zach. VIII. 16. Eph. IV. 25. Syr. IV. 35. Nihil ab hac fidei servanda obligatione dedit, si vel maxime quis hostibus Gen. XXXIV. 15. 16. 27. 30. Impiis 2. Sam. XIX. 20. hæreticis Gen. XXI. 31. sqq. XXXI. 44. Jer. XL. 9. sqq. immo ipsis etiani incredulis atque infidelibus. Jof. IX. 15. 19. coll. 1. Sam. XXI. 2. Gen. XXVI. 28. sq. 2. Reg. XXIV. 1. 2. 20. Ezech. XVII. 15. 16. illam promiserit, quoniam, si de re licita data fuerit, nullo prorsus Religionis obtenu justæ lædi potest, nisi ipsi prius, legibus divinis, pactisque humanis susque deque habitis, fidem scelerate frege-

fregerint, vid. B. JO. GERHARDI *LL. Theol. Tom. VI.*
 p. 808sqq. Nulli enim nos Protestantes eam concedimus
 libertatem, ut adversariis fide fluxa, verbis ambiguis,
 levique promissorum adimplectione imponat. Nemini
 etiam, si vel supremum civilis aut ecclesiasticæ dignitatis
 locum occupasset, hanc asserimus potestatem, ut quem-
 quam a promissionis, legitime factæ & juris jurandi re-
 ligione confirmatæ, obligatione absolvere possit *Exod.*
XX. 7. Lev. XIX. 12. Num. XXX. 3. Deut. V. II. 1 Sam.
XX. 42. 2 Sam. XXI. 7. 1 Reg. I. 29. Neminem schisma-
 torum, haëreticorum, infidelium, propter schismata,
 propter haëreses, propter idololatriam, ad supplicium
 trahimus, nec carcere, nec exilio, nec bonorum publi-
 catione, nec violenta liberorum ex parentum potestate
 erceptione, nec bello, flamnis & igne eorum quarimus, ur-
 gemus & extorquemus conversionem, aut Nostram
 Religionem ullis mediis violentis propagamus, imo ne
 propagari quidem debere aut posse statuimus. Nostra
 nimurum Ecclesia, se agni sponsam esse memor, ab omni
 sanguine, ab omni vi, omnibus modis abhorret. Exi-
 stimat enim cum LACTANTIO *Libr. V. Instit. divin. Cap.*
XX. eos omnes, ut in ipsa Religione, sic in defensionis & pro-
 pagationis genere falli, qui sentiunt Religionem summa vi
 oportere defendi, stabiliri aut propagari. Defendendam
 enim eam esse & propagandam, docemus nos Protestan-
 tes, non occidendo sed monendo, non sevitia sed patientia,
 non scelere sed fide. Confer *Sect. II. cap. I. §. IX.* Hanc vero
 in diversos alias Religionis socios Ecclesiæ Nostræ man-
 suetudinem & lenitatem, uti ipsi Ecclesiæ Nostræ accom-
 modatam, sic tranquillitati publicæ in primis utilem, &
 adversariis ipsis proficiam esse, vel CHRYSOSTOMI ef-
 fatum *Homil. XLVII. in Matth. XIII.* omnes edocere po-
 test,

test, qui, si trucidantur, inquit, hæretici, *ATROX ET IRRECONCILIABILE BELLUM ORBI INFER- RETUR* - - Certe si arma capiatis necessè est, cum hæreticos trucidatis, multos sanctorum simul interimere, quia præfertim verisimile est, ab ijs zizanis multos in iriticum converti posse. Hæc vero cum sit perpetua Ecclesiaz Evangelicae doctrina & constans ejusdem consuetudo, quilibet profecto hominum, cuiuscunque tandem sit conditionis, quacunque vivat in gente, quamcunque amplexus ille fuerit cultus divini rationem, tutissimum ubique præsidium ex Religione Nostra sibi certissime polliceri potest, *P.S. Cl. 6. Marc. VIII. 1. X. 16. 28. Syr. XLII. 3. 4.*

§. XV.

Neminem præterea heterodoxorum in vivis adhuc degentem, & quidem in individuo consideratum privato in primis judicio damnandum censet, quam Protestantes tueruntur, doctrina *Mattb. VII. 1. 12. Luc. VI. 37. Rom. XI. 18. 20. XIV. 13. 1 Cor. IV. 5. V. 12. 13.* sed potius illud suscipere judicat esse temerarium *Rom. XIV. 4. Jac. IV. 12.* & a charitate Christiana quam maxime alienum *1 Cor. XIII. 7.* Errores potius non propria quadam, quam sibi arrogaret, auctoritate, verum prævia scriptura sacra, damnando non solum libenter, sed etiam avidissime optare & bene sperare jubet, *Rom. X. 1. 1 Cor. XIII. 7.* fore, ut per immensam Numinis benignissimi gratiam *Rom. X. 20. 21.* & per constantem Jesu Christi, æterni & universalis servatoris, intercessionem tandem aliquando saniorementem induant adversarii, *2 Tim. II. 25. 26.* ad veritatis agnitionem perveniant, & cum ad frugem redierint, salutem æternam per eandem, qua nos, misericordiam divinam fortiantur. Nullum quoque convitiis & obtreestationibus Religionis causa proscindendum esse sancit, *Rom. XII. 17. 18. Hebr. XII.*

14. ne

14. ne animi civium temere commoveantur, *Prov. XIIIX.*
6. *XX. 3. XXV. 15. XXVI. 20. 22.* sed ut concordia ci-
viliſtabilitas inconcuſſa ſemper ſubſiſtat; id quod paci
communi, id quod adverſariorum ſecuritati, non falu-
berriſum eſſe non poſteſt. Nihil doctriṇarum adverſa-
riiſ falſo & ſubdole affingit, quod illi non ſtauuant: ſed
genuino veritatis ſtudio, vel ex libris eorum ſymboliſiſ,
vel ex eo, quod präcipui eorum Doctores, publice & cete-
riſiſiſſentientibus, docent, fidei eorum doctriṇam cogno-
ſeſit, cognitam ingenue proponit, propositam accurate
librat atque examinat, examinatam & a veritate diſen-
teſam depreheſiſam ſolide, non tamen vel charitatiſ, vel
modetiſ, vel moderationiſ obliſta, refutat, ejusdemque
ſectatores humaniter de errore ſuo coſmoneſaſit, &,
ut eo miſſo, in Numinis gloriam propriamque conſci-
entiā tranquillitatē, ſalutareſ veritatem amplectan-
tūr, amice cohortatur. Quemadmodum igitur omnem
Philoverbiac, contentionis & rixarum ſtudium atque pruri-
tum eriſticum, ex ſuis limitibus proſcribit, *1 Cor. XI. 16.*
1. Tim. III. 3. VI. 4. sq. 2. Tim. II. 23. 24. Tit. I. 7. 9.
ita ſobrium & modeſtum elenchiſ ſpirituſ ſancti jufuſ,
in veritatiſ deſenſionem, & adverſariorum conviſio-
neſ & conveſionem prudenter aſſervat & ſtrene tue-
tūr, *2 Tim. III. 16. Tit. I. 9. 10. II.* In eo autem tantum ab-
eſt, ut vel in charitatem, vel in proximi commoda ali-
quid ſecuſ committat, ut potius illam ſe foſere genui-
nam & probatam demonſtret, hæc vero iſigniter adju-
vet atque amplificet. Si enim quis, ut recte DOCTOR
ille propter laboris ſolertiaque conſtantiam ADAMAN-
TINUS ORIGENES ad Rom. Libr. IX. cap. XII. cenſet,
proximum ſuum diligat, & cum eum errantem videret, non
coſmoneat, ſimulata illa charitas dicenda eſt, quia chari-
tas

*tas genuina, nihil adulatorium, nihilque fucatum habere
debet, & quia, quod non imperite AUGUSTINUS in
libr. de vera Innocentia monet, sic diligendi sunt homines,
a vera fide dissentientes, ut eorum non diligantur errores:
quia aliud est amare, quod facti sunt, aliud odisse, quod faciunt.*

§. XVI.

Præter pacem politicam, quam adversariis non modo concedit, sed etiam sua sponte offert, oblatamque & ab ipsis admissam fideliter colit atque tuetur, omni etiam desiderio exoptat, & summa, prouti par est, contentione quarit Nostra Ecclesia, ut illi, omni hostili animo seposito & veritatis oppugnatione omissa, ingenue, & sine ullo doctrinæ purioris detimento, unam nobiscum spiritualem ineant fidei societatem, non tam ut cœtum nostrum sua augeant accessione, multo minus ut, ad alios adversarios profligandos, vel eos saltem sustinendos, simus robustiores & copiosiores; sed ut illi potius felicitatis nostræ spiritualis fiant participes, nostrisque tandem in beatitudine æterna consequenda confortes. Ille etenim Ecclesiam Evangelicam, ejusdemque candorem & indolem, aut plane ignoraret, aut, nescio quo labore & præjudicio abreptus, iniquissimum de eadem ferret judicium, qui eam, concordia sancte & absque fraudibus ineunda inimicam, contemtionis oblectari studio & hujuscemodi fraternali unioni, & dissidiorum ad veritatis ductum compositioni obices posuisse illegitimos statueret. *Quis enim, uti graphicè admodum LEONHARDUS HUTTERUS noster in Praefatione Irenici vere Christiani fratrum suorum mentem expressit, fidelium, vel ita publicæ privatæque salutis prodigus, vel a pacis studio adeo alienus esse possit, ut super contritione Josephi non ingemiscat, & pacem Ecclesiæ stabilem, firmamque SUO ETIAM SNA-*

SANGUINE NON REDIMAT? Non, crede nobis, lector
 optime, non adeo feri, aut immanes, vel potius adamantini su-
 mus, ut sine lacrymis & gemitu, Europæ fatiscentis, & unde-
 quaque rimas agentis statum intueamur: Non εκ πλείστων τῶν
 κακῶν multorum malorum sumus numero, qui Tyrria, quod di-
 citur, maria concitemus, qui concordiam Evangelicis invidea-
 mus, qui dissensionum faces accendamus, qui denique accensas
 jam & nimium quantum ardentes fovere magis, & frigidam
 suffundere, quam in primis potius favillis sospire & compescere
 studeamus. Namque Ecclesia Nostra, i.e. divinis statutis ad-
 monitam Zach. VIII. 19. Matth. V. Rom. XII. 18. Eph. IV. 3. sqq.
 1. Tim. II. 24. Hebr. XII. 14. Pacis vere Evangelicæ & Chri-
 stianæ magnō flagrare desiderio, satis superque demon-
 strat, dum non solum Deum precibus ardentissimis semper
 invocat, ut Ecclesia suæ halcyonia celebrare permittat;
 dum non solum ex Scriptura sacra, quæ sit vera stabilisque
 fidei concordia accurate agnovit, agnitamque adversariis
 propinat; sed etiam media, ad eam conciliandam tutissima
 & adæquata proponit, propositaque & ipsa adhibet, & ut ab
 adversariis admittantur, indefinenter rogat eosdem &
 constanter obtestatur. De isto Nostræ Ecclesiæ dissidia
 componendi pacemque restituendi studio, tot Theologo-
 rum, Principibus præsentibus, instituta colloquia, tot ami-
 cæ fententiarum collationes, controversiarum evolutio-
 nes, tot accuratæ ad principium fidei examinationes, &
 alii ejus generis exantlati labores, testimonia satis luculen-
 ta perhibent, candoremque ingenuum loquuntur. Volu-
 mus nimirum & nos, quod olim HIERONYMUS ad Theopb.
 Alexandr. de prisca Ecclesia affirmabat, pacem, & non solum
 volumus, sed & rogamus; sed pacem Christi, pacem veram,
 pacem sine imicitione, pacem in qua bellum non sit involutum, PA-
 CEM QVÆ NON UT ADVERSARIOS SUBJICIAT,

S 3

SED

SED UT AMICOS JUNGAT, cuius Dux & Custos est IESUS Christus. Hanc concordiam, uti Libri nostri Symbolici, Ecclesia nostra nomine, p. 823. loquuntur, ex animo diligimus & toto pectore amplectimur, eamque pro virili (quantum quidem in nobis erit) promovere summo studio cupimus, qua Deo honor suus illibatus servetur, veritati Evangelicae nihil decedat: nulli etiam falso dogmati locus concedatur: peccatores ad seriam pœnitentiam invitentur: perturbatae mentes fide erigantur: in obedientia nova confirmentur: atque adeo per unicum Christi meritum justitiam veram, & salutem æternam consequantur. Hanc SANÆ FIDEI PACEM omnibus, quod ATHANASIUS in Epist. ad Antiochenos monuit, rebus longe anteponimus; Hanc, quod erat HILARII libr. de Conciliis institutum, nos Evangelicæ Religionis Confessores, ET AMISAM QVÆRERE, ET TURBATAM COMPONERE, ET REPERTAM TUERI CURAMUS. Confer ipsius Ecclesiæ nostra vocem & confessionem de sua contentionis aversatione, & vera concordia studio, in Praef. Aug. Confess. p. 7. §. si autem, Praef. Apol. p. 49. §. non deleat nos. Apol. p. 179. §. profecto non deleant. Art. Smalc. p. 305. §. cum sanctoribus. p. 317. §. de sequentibus. Epit. Form. Concord. p. 797. §. studebimus. Nostra equidem Religio præcepto divino instructa, veritatis amore ducta, periculi gravitate deterrita, Principis pacis morem imitata, Apostolorum & vera Ecclesiæ exemplum secuta & hominum secus sentientium animum minus candidum quandoque experta, omnem illam proscribit, improbatque concordiam, qua cum veritatis discordia conjuncta, cum pietate genuina vel aperto, quod ajunt, Marte congregitur, vel eandem insidiis petit, quæ denique, postposita veritatis divinae præstantia, civile quoddam lucrum & commoditatem pro ultimo suo scopo agnoscit. Discordem vero ejusmodi concordiam amolendo,

endo, nihil profecto statuit purior Protestantium Ecclesia, quod adverfarios, rem juste expidentes, male habere posset, si vel maxime propriæ suæ, sed legitimæ, utilitatis rationem inire vellent. Pax nimurum ejusmodi, in qua bellum involutum est, eorum etiam Ecclesias in majorem conjiceret confusionem, majoribus molestiis, turbis, controversiis, odiisque easdem implicaret. Ignorarent hoc modo genuinos Religionis suæ affecas, & quos pro fratribus assumisset, de mutuo eorum amore, candore, constanza & salute, tandem æterna consequenda, semper & juste quidem haberent, cur non dubitarent tantummodo, sed admodum timerent. Quis enim illum hominibus fidelem tuto existimaret, qui fluxa fuit instabilique in Deum fide? Quis illum socium, fratrem, omniumque spiritualium & celestium bonorum cohæredem crederet? qui diversam ab aliis se tenere ajebat in fundamento fidei doctrinam, & tamen, lucri cuiusdam levioris immo admodum incerti spe, veritatis defensionem omisisset & cum aliis, doctrina repugnante, conscientia reclamante, in unam fidei societatem coaluisset. Accedit, quod controversia ne quidem in ipsorum dissentientium Ecclesia eo modo sopirentur, sed, novis factionibus exortis, novisque questionibus motis, augerentur, & quod, qui pacate hucusque & uniti vixerant, dum ex duabus tribusque unam Religionem minus pie & sincere conflare fategerunt, ipsi in partes distraherentur inumeras, & quod, quæ una ex diversis male quarebatur, Ecclesia, eam adverfiorum Societatem, quæ revera doctrinæ consonantia una olim fauisset, in multiplices & longe diversissimas divideret Ecclesias.

§. XVII.

Ea denique omnibus hominibus longe utilissima mihi quidem videtur esse Religio, quæ ad amplificandam atque

atque stabiliendam litterarum venustatem, excellentiam & dignitatem, & ad excitandum in hominum animis eruditionis studium, multum & olim valuit, & vel hodie admodum valet. Ab omnibus enim æquis rerum censoribus, non solum nostra ætate, sed multorum retro seculorum memoria, haud secus quam par est, estimatum fuit, illos Rempublicam universam insigni beneficio sibi devinxisse, qui litteris proprium suum & nativum, sed obscuratum collapsumque restituerunt splendorem, omnibusque, vel doctrina, vel exemplo, autores, sive suppetias ferendo svasores fuere, ut doctrinarum studiis imbuerentur, iisque imbuti, non postremam certe felicitatis publicæ partem sibi vindicare studerent. *Confer Celeberrimi nunc Fraucfurten-sium Inspectoris JOH. GEORG. PRITII Disp. Quantum conseruat eruditio ad felicitatem humanam.* Religionem Evangelicam ad litteras eleganter excolendas, & pro merito venerandas, plurimum momenti habere, Musisque esse amicissimam, vel illud indicio esse potest, quod, cum antea solidæ eruditionis ignorantia Europam teneret obrueretque penne universam, & premium litteris, apud plerosque, sive plane nullum, sive vilissimum esset, nunc, postquam Evangelii lux ex densis veluti nubibus prodiit, lucisque suæ radios ubique felicissime exposuit, litteræ non solum suum in hominum mentibus recuperaverint amorem antiquum, & pristina enituerint celebritate; sed ad illud etiam perfectionis fastigium exiguo brevioris temporis spatio ascenderint, ad quod eas, nec Ægyptiorum ingenium, nec Chaldaeorum studium, nec Græcorum olim solertia, nec Romanorum quandam industria, per longissimum temporis diutini tractum evehere poterant. Quod si cui forte adhuc dubium est, an Religio Nostra multum ad communem hanc Europeæ felicitatem conduxit, evolvat ille Historiarum monumenta, & omni proscripta præconcepta opinione, excusat paulisper

per intelligentiam suam, facileq; videbit, quod sicut de principio a litteris paulatim renascentibus, strenuisque earum cultoribus, Ecclesiæ juvebat Reformatio, ita a Religione Evangelica literæ quoque & sustentata sint, & auctæ, & ad eam, ad quam iam adspirarunt, ~~et~~ ^{et} per hanc seu perfectionem perductæ. Si tandem accurate perpenditerit, quot viros in omni doctrinarum genere versatissimos, quot communis Germania, aliarumque Provinciarum Praeceptores, quot litterarum expolitores, quot disciplinarum novarum inventores, Ecclesia Evangelica habuerit, vel Doctores, vel filios: Si secum consideraverit quanto studio a Protestantium eruditis cautum semper prospectumque fuerit, ne quid detrimenti in flore suo literæ ferant; si denique simul cogitaverit, quot Scholæ illustriores, quot Academias, quot artium Palæstræ, quot studiorum remunerationes, atque stipendia, a Protestantibus Principibus, in litteras amore excitatis, constituta fuerint; is unam facile nobiscum tuebitur sententiam, litteras, sive plenariam earum restituionem, sive augmentationem, sive perfectiōnem, sive dignitatem, consideres, qua nunc temporis in Europa vigent florentque universa, multum debere Protestantium Religioni, eorumdemque ingenio & industria.

§.XIX.

Habes itaque, Lect. Benev. quædam Relig. Evangel. merita & beneficia, in ejus asseclas, in tres status hierarchicos, in adversarios, adeoque in universum humanum genus & salutem publicam collata, & quodammodo a me in conscripta hac dissertatione enarrata atque exposita. Non enim de Religionis Nostræ utilitate ita differere decreveram, ut ejus quidem commoda singullatim percensere vellem omnia; sed is mihi fuit animus, ut ex innumerabili eorum copia quædam duntaxat feligerem, nec tamen eadem longiore filo deducerem, sed breviter tantummodo & succincte indigitarem, quo consilio, ea etiam, quæ fuisse quandoque explicari forsitan debuissent, compressi & coarctavi; id quod mihi juveni, inferiora dissentium subsellia submissio, sed veritatis cognoscenda cupido, animo occupanti, & sufficere & convenire arbitrabar. Hoc instituto meo lectorem in viam quasi ducere constui, qua ulterius progressus & in proposita accuratius inquirere, & non commemorata diligentius scrutari, aliosque fructus ex aliis colligere queat, quorum certe, adhibito studio, non exiguum inibit numerum, quia ne præcipios quidem omnes, (licet quis revera exiguis sit, ignorat) me commemorasse profiteor. Evidem Doctrinæ E-

T

vangelie

vangelica veritas, ejusdemque confessio ab ejusdem affectis utilitate primario metienda non est, multo minus ex ea derivanda, quippe quæ originem suam ex multo certiore & eminentiore principio trahit. Cave tamen putes, Lector Benevolè, esse quandam in orbe Christiano Religionem, quæ cum Evangelica, si non in aliis prærogativis, hac fortassis in parte, contendere cum successu quodam possit; si nimis rurum uberior, certa & veri nominis utilitas minori, minus stabili & apparenti est anteserenda. Licit etenim unam atque alteram commemorata utilitatis speciem huic vel illi a nostra diversæ Religioni convenire non penitus inficias irem; attamen & pluribus præcipuisque commodis destituuntur, & quæ pollicentur, vel non tam expedite, tuto & largiter præstant, vel eatenus tantummodo conferunt, quatenus ab Evangelica Nostra non dissentient Religione: ut igitur omnes illi vel siue nimium, vel nostræ minus æquum tribuant Religioni, qui majora, aut saltæ æqualia ex suis doctrinis hominibus provenire commoda, incauti & imperitioribus interdum persvadere conantur. Omnium igitur & singulorum erit, ut Religionem Evangel. debito complectantur amore, nec beneficiorum ejusdem memoriam unquam abjiciant, multo minus hæc merita injuriis compensent, sed, si plenaria nobiscum frui felicitatis communione recusent, saltæ pacate tranquilleq; cum iis vivant, ex quorum doctrinis ne unum, ne minimum quidem prodire damnum, commoda vero in se, licet adversarios, profluere plurima, illustria atque perpetua, & perspicue cognoscunt, & revera experiuntur. Quos autem Fratres, cognitione spirituali mihi conjunctos, tenerrimo & vere fraterno animo appellare licet, eos Pater, qui nos per verbum suum in uno genuit Ecclesiæ gremio, in veritatem Evangelicæ puritate, vita christiana pietate, pacisq; fraternæ & mutui amoris studio, ad vitæ, immo ad seculi usque terminum conservet, conservatos corroboret, & corroboratos potentissime tueatur! Ita enim nulla unquam ipsis deerit sive causa, sive occasio de multis in se a Deo per Evangelii præconium collatis beneficiis pectore hilari, læto ore, & sublatis in cœlum manibus Numini beneficentissimo gratias agendi humillimas; donec tandem per eandem doctrinæ Evangelicæ fidem, superatis hujus mundi periculis, summum æternæ felicitatis fastigium affectuti laudes, nullo feculorum spatio finiendas, Deo trihuni sunt decantatur.

VERITATEM ET PACEM AMATE!

94 A 7376



Retro

V077

III.50.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

16

Q. D. B. V!
DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ PRIMÆ
DE
**UTILITATE RELIGIONIS
EVANGELICÆ,**
SUB PRÆSIDIO
DN. D. JOHANNIS SCHMIDIIPP.
CONSISTORII ELECTORALIS ET DUCALIS ASSESSORIS,
ALUMNORUM ELECTORAL. EPHORI, COLLEGII B. MARIAE
VIRGINIS PRÆPOSITI, ACADEMIÆ DECEMUIRI,
EJUSDEMQUE UT ET NATIONIS PO-
LONICÆ SENIORIS,
PATRONI ATQUE PRÆCEPTORIS
SUBMISSO VENERATIONIS CULTU
ÆTATEM PROSEQUENDI
IN ALMA LIPSIENSIVM ACADEMIA
DIE XV. OCTOBR. A.R.S. MDCCXXVI.
HABITÆ
SECTIO TERTIA
JAM EXHIBITA
STUDIO.
DAVID BENJAMIN BRESKOTT,
BEROLST. SIL. SS. THEOL. CULT.
—
LIPSIAE,
LITERIS BREITKOPFFIANIS.

